

**05**

**A**

**1251**





De

FRACTURA OSSIS TI-  
BIÆ CUM VULNERE ET  
PROMINENTE OSSE

Quam

*Divinâ adspirante clementiâ*

Decreto, jussu & Autoritate Illustris & Gratosissima  
Medicæ Facultatis in celebratissimâ ad Salam  
Academiâ

SUB PRÆSIDIO

VIRI

*Nobilissimi, Amplissimi, Excellentissimi, Amplissimiq;*

D N. IOHANNIS THEODORI  
SCHENKII,

Medicinæ Doctoris celeberrimi, Anatomix, Chirurgix ac  
Botanices Prof. Publ. eminentissimi, horti Guilielmini ac  
Collegialis Præfeci solertissimi.

*Dn. Præceptoris, Patroni, ac Promotoris sui æviternum  
colendi devenerandique*

PRO LICENTIA

& summis in arte Medicâ honoribus privilegiis & insignibus  
Doctoralibus legitimè & solemniter acceptandis

*Publico submittit examini*

GEORGIUS Grav/ Coburgo Francus.

*In Auditorio Majori*

*ad diem 21. Januarii.*

*Horis pro & pomeridianis.*

---

LITERIS SAMUELIS KREBSII, 1659.

150

FRAGMENT  
BIBLIOTHEK  
KONIGLICHE

Medizinische Fakultät  
Halle



1521 A 50

GEORGIUS  
Halle





# ΖΟΝΑ ΖΥΝΑ.

## PROOEMIUM.



Ulm ars omnium artium nobilissima  
**MEDICINA** nimirum in quinque  
 aliàs dividi solet partes, φυσιολογικήν,  
 παθολογικήν, σημειωτικήν, υγιεινήν, & θεραπευτικήν,

hæc verò iterum in pharmacia-  
 ciam, quæ sub se complectitur Chimiam, & Chi-  
 rurgiam, omnes autem hæ partes œncomio carent  
 nullo: merito etiam **CHIRURGIA** laudibus suis  
 non debet esse orbata. Si enim consideramus il-  
 lius *necessitatem*, sæpè operationes chirurgicæ ma-  
 num ad instar Dei esse solent, præsertim tum in  
 bello, tum etiam domi, imò nullus ferè mortali-  
 um ab externis injuriis liber & immunis adeo est,  
 ut se nullius operationis Chirurgicæ ope & auxilio  
 indigere, exclamare possit. *Antiquitatem* si specte-  
 mus, certè invenimus Medicos, quorum memoria  
 ad nos pervenit, antiquissimos, qui Chirurgiæ in-  
 primis nomine inclaruerunt, ut sunt *Æsculapius*,  
*Machaon*, *Podalirius*, & divinus ille Medicorum  
 omnium Princeps Senex *Hippocrates*. Hic præ-

A

terquam



terquam quod multa egregia ac præclara in Me-  
dicina scribit, ea tamen quæ de arte Medico-Chi-  
rurgica tradi debeant omnium optimè fuit profes-  
sus, qualia habentur *in libro de officina Medici, de  
fracturis, de capitis vulneribus, & de articulis*, quod  
artis genus postea excoluerunt *Galenus, Aetius,  
Ægyneta, Celsus*, nec non decus illud Parisiorum  
*Ambrosius Paræus*, ut & magnus ille Basiliensis *Fe-  
lix VVurtzius, Fabricius ab Aqua pendente* &  
alter ille *Hildanus*, & alii plurimi quorum omnium  
nomina recensere hæc pagellæ non caperent, nec  
etiam instituti nostri ratio id exoptulat. Cùm  
autem inter alias etiam Chirurgicas operationes  
illa non minima sit, quæ agit de **FRACTURA  
OSSILIM cum primis TIBIÆ CUM VULNE-  
RE ET OSSE PROMINENTE**, placuit **NO-  
BILISSIMÆ FACULTATI MEDICÆ**,  
hac de inauguralem ut conscriberem disputatio-  
nem, quam etiam materiam ad elaborandum lu-  
bendissimè suscepi, & quantum quidem ingenio-  
lum meum eâ in re valet, elaboravi, sperans, si  
quâ in re hallucinatus fuero me facilè apud peritos  
& exercitatos veniam adepturum.

Faxit itaque **DEUS TER OPTIMUS TER-  
QUE MAXIMUS**, qui non solum corporis, ve-  
rùm etiam animæ nostræ Medicus, ut dicta & fa-  
cta no-

eta nostra cedant in nominis sui divini gloriam & laudem, proximi auxilium, nostrum verò emolumentum ac utilitatem.

## CAPUT I.

### *De origine vocis Fracturae.*

**A**Ntequam propositā materiam adgrediamur, placeat doctrinam generalē de fracturis in genere præmittere, idquē ideò, quòd hacce propositā, doctrina de fractura ossis tibiæ cum vulnere & osse prominente clarior evadat ac reddatur.

NOMEN Fracturæ descendit à verbo *frango*, quod vocabulum satis notum est; differt autem fractura à luxatione, quod etiam vox innuit ipsa, nam luxatio est, quando caput articuli suā è sede excidit; fractura verò est, quando os aliquod disrumpitur & frangitur. Potest tamen luxatio simul cum fractura conjungi, quando nimirum os non solùm fractum sed & è sua sede dislocatum est, ut infra capite de differentiis dicetur. Græcis dicitur *κλάσμα*, quod vocabulum deducitur à verbo græco *άγω*, quòd idem significat ac frango. Germanicè audite in *Beinbruch*. Estque affectus, qui à causā nomen habet, ut innuit *Galenus 2. method. medendi. cap. 1.*

## CAPUT II.

*Continet definitionem, ejusque aliqualem examinationem, Fracturae.*

Haftenus de vocis etymo. Nunc conferimus nos ad ipsam DEFINITIONEM; antequam verò eam ponamus, notetur, quod quando jam agimus de fractura, eam

in genere consideremus, quatenus nimirum omnem differentiam fracturarum complectitur. DEFINITUR.

**FRACTURA** est ossis, partis nimirum siccae, durae ac solidae, continui solutio à re aliquâ frangente orta.

**GENUS** est solutio continui in osse seu unitatis solutio ut habetur in libro Galeni de arte parva cap. 6., Os commune hoc habet cum reliquis partibus mollibus etiam, ut quæ in naturali constitutione comprehensû unû & continuum quid sint. Videatur Galeni 6. method. med. cap. 1.

Solutio autem continui in osse nominari nequit 1. Symptoma; hoc enim, ut constat ex Sennerti lib. 2. instit. medic. part. 3. sect. 1. cap. 1. extra constitutionem illorum est, quæ ad actionem edendam necessaria sunt, 2. nec Causa morbi, quia effectum non ingrediuntur; sed optimò jure nominari potest Morbus, quia est dispositio præter naturam accidentalis ossis lædens actionem, actionem vitians, vel nullam exercens.

Vocatur à Galen. 8. meth. med. cap. 1. alterum morborum genus: qui partes simplices occupant. An morbis instrumentalibus adsignari fractura debeat? rectè responderi potest, per accidens hoc fieri solere, quatenus unâ ejus conformatio læditur.

### CAPUT III.

#### Explicat Fracturæ subjectum.

**SUBJECTUM** quod attinet, ejus subjecta esse possunt omnis generis ossa, nullum enim, etsi in profundissimâ corporis sita sit parte, datur os, quod non frangi possit. Id quod probatum damus I. ex eorum siccitate, omne enim siccum quod est, frangi potest. II. ex eorundem duritie, dura etenim, quæ sunt, frangi possunt. III. ex eorum soliditate,



207

*Soliditate*; corpora enim quæ solida sunt etiam frangibilia sunt. Quod tamen non ita intelligendum, quasi unaquæque harum proprietates perse efficiat, ut os possit esse fragile, verum ita, quod hæ tres conditiones sive potius proprietates & signa debeant simul conjungi, his enim simul junctis & complicatis in osse certò concludere licet os propter tres hæc proprietates frangi posse.

Obstat ex *Hippoc. lib. de Fracturis*: *ossa carpi non franguntur*. Verum respectiva hæc locutio est, non absolute pronunciata: Subjecta malleo comminuuntur vel franguntur, sed tamen non eadem ratione ac tibia, femur, brachium, &c. Unde rarissime franguntur.

Legitur etiam *apud Coum in libro de articularis aurem frangi*, exinde quis objectionem facilimo negotio formare potest, quod non solum ossa, verum etiam cartilagine frangi possint, nam in aure externa nullum invenitur os, sed tantum cartilago. Verum ad hanc respondemus objectionem hunc in modum: quando *Hippocrates in libro illo de articularis* mentionem facit auris fractæ id adscribendum potius esse consuetudini Medicorum antiquæ, utpote, qui Medici cartilagine dixere ossis imaginem, & quod ejusdem ferè naturæ sit cartilago cum osse, teste *Autore definitionum Medicarum cap. 19.* & *Thoma Bartholino Anaton. reformat libell. 4. de ossibus cap. 2.* cui accedit & hoc, quod eisdem scopis curativis maximâ ex parte conveniant.

Quemadmodum autem ossa dividuntur in ossa capitis, thoracis, spinæ, artuum, tam superiorum quam inferiorum; sic etiam fractura nunc in hujus, nunc in illius, modò etiam aliùs partis ossa incidere potest & ita nomen sortitur suum. Quorum non nulla frequentissime franguntur,

A 3

guntur,



guntur, ut ossa artuum v. g. humeri, cubiti, radii, femoris, & tibiæ; nonnulla non tam frequenter, ut ossa capitis, maxillarum, costarum, nasi, pectoris; omnium rarissimè vertebrarum, carpi, manus, ilei & coxendicis. De quibus omnibus agit Cous libro de fracturis & Sennertus lib. 5. prax. part. 5. qui videri possunt.

#### CAPUT IV.

##### *Explicat causas mediatas,*

Non erimus hac vice multum immediatâ de causâ ossis fracti explicanda solliciti. MEDIATAS examinabimus, quas, etsi multi sunt, qui negent dari causas fracturarum INTERNAS, inter quos est Leonhardus Fuchsius qui libro 8. de medend. morb. cap. 1. ita dicit: *causæ fracturarum internæ sunt nullæ*; cui etiam consentit Johannes Tagaultius lib. 4. cap. 2: attamen cum interdum accidat, ut constitutio ossium sit vitiata, ut eò citiùs frangi possint, meritò illam sententiam rejicimus & statuimus quod CAUSA INTERNA fracturæ ossium possit esse *constitutio vitiosa bumida, sicca statim à prima nativitate, conformatio mala*. præsertim si *carie obsessa*, aut *inunctione mercurii* propter luem veneream usurpata labefactata sunt, ut est apud Hildanum, quarum causarum meminit Galenus VVittebergensis libro 5. prax. part. 5. cap. 1. Confer huc historiam Jacobi Seidelii adnotatam à Schenkio in observationibus medicinalibus.

EXTERNÆ commodè dividi possunt in duas classes quarū I. continet EXTENDENTIA & DISTENDENTIA ceu sunt *nimia partium commotio, certamen, lucta, descensio & prosilidio in terram*, in quibus membra extensa non modò inæqualiter mota sedibus excidere suis, verùm etiam ossa

9073.  
iam ossa frangi nunc circa medium, nunc circa finem so-  
lent. Vidi in Borussia duos milites certantes inter se in-  
vicem, quorum unus alterius apprehensit brachium pro-  
pè axillam, & in parte anteriore alterâ suâ manu ipsi car-  
pum fregit. II. classis complectitur IMPELLENTIA, quæ  
vel sunt SPIRITUOSA vel SOLIDA. ILLA sunt AER,  
utpote, qui ex validis bombardarum explosionibus ve-  
hementer concutitur, & in aurem protruditur, ita ut  
non solum tympanum rumpat, sed & ossa frangat. *Venti*  
quantam obtinere vim nemini non liquet. Nonne arbo-  
res è terra extrahunt, eas & earum ramos frangunt? imò  
totas domos evertunt? unde quâ ratione à numero causa-  
rum fracturæ excludi debeant, non videmus. *Flatus* quid  
possint efficere, testatur *Cous libro de flatibus*, ubi omnes  
ferè morbos à flatibus dependere statuit; fracturam itaque  
inducere possunt, quod in palpitatione cordis à flatu ex-  
citata frangenteque costam expertus morte sua *B. VVil-*  
*helmus*. Patent similia ex *Sennerti libro 2. instit. medic. part.*  
*3. sect. 1. cap. 5. & Fernel. lib. 5. patholog. cap. 12.*

Hactenus de spirituosis SOLIDARUM quæ sunt, aliæ  
I. fracturas excitant *pondere & gestatione* rerum gravio-  
rum, quâ ut plurimum franguntur scapularum clavicula-  
rum, atque vertebrarum ossa. Vidi in Borussia duos ru-  
sticos certantes portando modios octo frumenti, quorum  
alter dum frumentum sub levaret, humerisque impone-  
ret, scapulam sinistram effregit; aliæ II. *Casu* hunc effectum  
inducunt, quæ iterum dividi possunt in *Impellentia*, ut sunt  
fulmen, gladius, globus tormentarius, lapides decidentes  
ex alto, & *Adpellentia*, ut baculus, dejectiones de scalâ, fe-  
nestrâ, & hoc vel I. *renisu*, ut cum brachium vel pes, vel  
caput, ad aliquid quod vim frangendi habet, allidit, qua-  
lia sunt

lia sunt lapis, lignum, ferrum, 2. vel recessu, ut sunt omnes  
res conquassantes III. Motu peculiari adfecta, ut rotæ mo-  
lendaria.

## CAPUT V.

Recenset differentias Fracturarum.

DIFFERENTIAS fracturarum quod attinet petun-  
tur illa I. ex essentialibus & 2. accidentalibus.

ESSENTIALIA continent Genus, subjectum & cau-  
sas.

ACCIDENTALIA verò tempus, symptomatum-  
què conjunctiones.

GENUS prodit *veram*, ut pote in qua os fractum ex-  
hibetur, & *spuriam* sive apparentem, quæ vel planè non  
datur, vel si datur, levisima tantùm est, vulgò vocatur  
*ein Kleckbruch*/ut pote quam vix oculis cernere licet, quam  
etiam ante annos aliquot Coburgi vidi & curata est tan-  
tùm imposito emplastro *Opodeldoch Felicis VVurtzii*.

VERA species continet nonnullas, quarum prima  
est *longitudinalis*, utpote in quâ os in longum fractum est,  
& obtinet nomen generis; secunda *latitudinalis*, quæ est  
vel lata vel angusta; tertia *transversalis*, in qua nimirum os  
per transversum fractum est. Dantur insuper aliæ species  
veræ fracturæ à quantitate desumptæ, quas sicco præteri-  
mus pede, & alias perlustramus species, nimirum quæ de-  
sumuntur à *qualitate* & I. *ratione termini* estq; alia *completa*,  
cum totum os frangitur, alia *incompleta*, cum dimidium,  
II. *ratione modi & figura*, aut enim totum æqualiter frangi-  
tur per transversum, quomodo cucumer vel raphanus  
frangitur, aut inæqualiter in modum assularum. Adi sis  
ex mente *Galen. Paulum Æginetam lib. 6.*

Ex

9075.  
Ex SUBJECTO seu parte affecta, quæ petuntur differentia, sunt alia cranii, alia humeri, alia brachii &c. pro diversitate partium læsarum.

Ratione CAUSARUM alia ab *internis*, alia ab *externis* prodeunt & signis suis patent.

Ab ACCIDENTIBUS tandem & quidem, vel à *tempore* recens, inveterata alia, vel *conjunctione symptomatum & morborum*, cum tumore, inflammatione, dolore, luxatione, ulcere, vulnere, gangræna &c.

## CAPUT VI.

*Diagnosin & prognosin continet.*

Hactenus de definitione, ejusdem explicatione, causis & differentiis fracturarum in genere actum fuit, proximum nunc est, ut signa tam diagnostica quam prognostica proponamus.

DIAGNOSTICA ratione I. GENERIS sunt *Cavitas* supra fracturam tactu perceptibilis. II. *Fragor*, sive crepitus, si nimirum membrum fractum contrectatur. III. *Dolor* adest acutus, tum ob periostii lacerationem, tum ob nervorum distensionem. IV. *membrum affectum non potest firmari* aut sisti. V. capita ossium fractorum sive *extremitates extantes* manu perceptæ crassiores ac reduplicatæ sunt, quas Chirurghi germani vocant *das Bein stehe über einander*. VI. *Galenus* refert etiam tale signum, quando nimirum *membrum brevius fit*, quod contingit ideo, quia muscoli, qui aliàs membrum secundum longitudinem distentum servare solent, in tali situ naturaliter ossibus adpositi in se redeunt, & ita unà os retrahunt fractum. VII. *Franciscus Peccetius Cælestinus* addit *lib. 4. cap. 1. membrum tortuositatem*, quæ tamen non semper necessaria est.

B

Vera

177  
*Vera perfecta & magna cognoscitur per dolorem, causam fortem, apostemata &c.*

*Ementitam* sive spuriam produnt I. dolor si nimirum pars tangatur. II. munere non potest perfungi suo membrum adfectum, intumescit, ac plerumque calet.

II. *Ratione CAUSÆ.* Causam internam erodentem patefaciunt carnes corrosæ in circuitu ossis cum dolore, Ventositas suis sese prodit signis. Externæ non possunt latere, nam ab adstantibus & ægroto revelantur ipso.

III. *Ratione SUBJECTI,* ex læsa membri ex ossibus compositi actione fracturæ præsentia addiscitur de quibus videri potest *Senn. lib. 5. prax. part. 5. à cap. 8. ad caput 22. Franciscus Peccetius Cœlestinus libro 4. à capite 12. ad finem ejus libri.*

IV. *TEMPORIS ratione.* Recens caret majori symptomatum ingravescentia, callus nondum satis est firmatus, dolores, deformitates & infirmitates membri adfecti adsunt. Morbi cum fractura conjuncti neminem artificum latere possunt.

**PROGNOSTICA I.** *Ratione GENERIS SALUTEM ET MORTEM* quoad. Ossium fractura non vacat periculo, os enim si frangitur, propter continuitatem & rigiditatem non potest frangi nisi totum frangatur. Vera perfecta, magna, ac composita periculosior simplici. Æqualis ac rotunda & quæ cum facilitate quadam os in suam sedem reponi permittit facilis est curationis.

II. *CAUSÆ respectu.* Deterior est à contusione, quàm ab incisione quæ provenit. A causâ internâ proveniens rarò imò ferè nunquam curatur.

III. *Secundum SUBJECTUM denominationis,* faciliùs curatur in infantibus, & qui adhuc crescunt, quàm  
in adul-

377.

in adultis: *adequationis* & quidem *quoad situm*, periculosior est ea, quæ in profundiore corporis parte accidit, quia ad eum locum manus Chirurgi non facilè pervenire potest, & melior est fractura declinans ad ventrem, quam ad dorsum: *species quoad*, fractura in osse magno periculosior est, quàm in parvo.

IV. TEMPORIS ratione: fractura citiùs in infantibus, & juvenibus promtiùs coalescit, quàm in adultioribus & senibus; quibus autem in partibus partes fractæ citiùs tardiusvè conglutinantur, docuit *Cous in libro de fracturis* & *Riolanus in enchirid. anat. patholog. lib. 6. cap. 6.*

*Johannes Tagaultius* loco supra citato hunc in modum scribit: *Fractura non pari dierum numero in omnibus ossibus ferruminantur, sed in aliis tardiùs in aliis citius. Calvaria triginta quinque diebus glutinatur: brachium & tibia, si ritè tractentur diebus circiter quadraginta coalescunt. Firmatur cubitus diebus ut plurimum triginta. Si in naribus os perfractum est decem & octo dierum spatio consolidescit. Costa post unum & vigesimum Celso, aliis non nisi post viginti octo ferrumen implet. Ferè etiam intra decimum quartum & unum & vigesimum diem sanescunt: maxilla jugulum, scapula, os tali, calx, manus, planta inter vigesimum septimum & quadragesimum humeri & femora. Coxa verò diebus quinquaginta coalescit Hippocrati. Pes eidem sexaginta dierum spatio, si quiescat consanescit. Et ita de aliis pro fracti cujusque ossis natura dicendum est. Quin etiam confert aliquid ad celerem aut tardam sanationem & etas, & corpus, & vitæ propositum, & anni tempus. Proinde in iis nihil certum aut perpetuum est. Hæc ille. Meritò tamen adjungi possunt *multitudo & abundantia sanguinis, paucitas ejusdem, nimia**

*tenuitas & serositas*, utpote quæ omnia curationem accelerare, retardare vè possunt.

Ratione II. LONGITUDINIS ET BREVITATIS, nec non III. EVENTUS: *celerem* accersunt *mortem* fracturæ vertebrarum colli, ossium capitis magnæ, aliæ item fracturæ doloribus, convulsionibus, febribus acutis, gangranaquè comitatæ. *Lentam*; si accedit aliud symptoma v. g. atrophia, aut quando ossicula nonnulla exemta sunt. e. g. in fractura cranii succedente epilepsiâ, memoriâ & ratiocinatione diminutâ stuporequè mentis. In *vitâ* verò manere permittunt fracturæ recentes, simplices, ætas juvenilis & senilis bonis viribus ac sanguine habituquè bono donata & quando gravia non adsunt symptomata, repositio deligatio etiam ritè celebrata atque peracta fuit.

## CAPUT VII.

### *Quod indicat scopos curationis.*

CURATIO commodissimè potest institui si observentur scopi nonnulli, quorum.

*Primus* desumitur à naturâ affectûs quæ est soluta unitas, & est unio & coalitus.

*Secundus* scopus est, ut jungantur ossa fracta simul, atque aptentur, diriganturque ita, ut pars anterior ossis correspondeat parti alterius ossis, & posteriori posterior, & sic de reliquis: ita enim fiet bona conformatio: in qua conformatione partes ossis directæ manent, uti manebant, antequam os esset fractum.

*Tertius* est, ut membrum trahatur, extendaturquè ut partes ossis fractæ diducantur aliquantulum, factâ impulsione mox os redeat in suum locum. Qui scopus etsi  
sit



979  
fit ultimus inventus tamen in operatione primus est, quia sine extensione non potest fieri colligatio, nisi os prius fuerit in sedem suam restitutum.

*Quartum* denique est, ut symptomata, quæ fracturam consequi solent corrigantur & abigantur.

His omnibus REMEDIA ex triplici fonte petita satisfaciunt & principaliter quidem I. EX FONTE CHIRURGICO confert manus operatio, emplastrorum adpositio, & fasciarum obvolutio. EX FONTE PHARMACEVTICO ET DIÆTETICO, quæ conferunt, paulò infra recensentur. Quam operationem nunc in fractura ossis tibiæ cum vulnere & osse prominente clariùs explicabimus. Sit igitur.

### CAPUT VIII.

*Quod proponit fracturæ ossis tibiæ cum vulnere & osse prominente definitionem, Diagnosin, prognosin, & Curationem*

EST itaque FRACTURA OSSIS TIBIÆ EJUS CVM VULNERE ET OSSE PROMINENTE solutio continui à causâ aliquâ externâ violenter & cum impetu agente frangendique vim habente introducta.

RATIO FORMALIS est solutio continui.

CAVSA est res aliqua externa violenter & cum impetu agens, vimque frangendi obtinens, qualia sunt omnia gravia, contudentia frangentia &c. uti dictum.

SUBJECTVM est os tibiæ cum carne suâ sumtum.

SIGNA recensere DIAGNOSTICA opus non est, nam affectus in oculos in currit.

B 3

PRO-

154  
PROGNOSTICA quoad, dicimus, quod fractura hæc omnium ferè PERICULOSISSIMA est, exceptâ craniï & sterni fracturâ; nam adest sanguinis fluxus largus, qui vires deijcit, & mortem accelerare potest, pertimescendæ inflammationes & convulsiones &c. Interim tamen diligenti adhibita curatione & diætâ ad salutem terminari potest & restitui.

LONGO indiget TEMPORE hujus curatio, nam ossa callo sunt obducenda & caro conglutinanda est. Imo ad vitæ terminum perdurat, & agrotum sæpè ad sepulchrum usquè comitatur.

CURATIO instituatur secundum intentiones suprâ præscriptas. Ergò fracto in membro primò debet abstergi sanguis spongiâ aquâ calidâ aut tepidâ imbutâ, hoc factò ministri duo adstantes debent tibiam extendere, & quidem ita ut os prominens, nisi nigredine infecta, quantum fieri potest in locum possit reponi. Repositio fit vel manibus, vel machinis, vel instrumentis. Consule *Hippocratem, Celsum, Fallopium* & alios: si non totaliter potest introduci, vulnus forcipe aut novaculâ aliquò ampliatur modo, hæc tamen adhibita circumspèctione & cautelâ, ne nervus quidam vel arteriæ ramus major lædatur. Non autem caro corrodentibus debet erodi medicamentis, id quod Chirurgi quidem Welavienses in Borussia fecerunt, qui cum ante biennium puerum è traha prolapsum hunc in modum tractarunt. Ut eò melius itaque fugiamus hosce errores ipsum proponere libet casum.

Puer annorum 14. noctu trahâ per loca nemorosa & opaca vectus, labitur de ejus parte anteriore, cumque tra-

100/3

que traha simul everteretur, fractum est puero os tibiæ  
dextræ cum vulnere & ossis particula prominente. Chi-  
rurgus quidam accersitus, deligavit vulnus emplastris  
fasciis, & ferulis, posterô die iterum visitavit ægrotum vi-  
dens què ossis particulam prominentem perterritus qui-  
dem est, verùm ad se reversus corrosivis usus est, impo-  
nendo carni mercurium præcipitatum cum oleo  $\Theta$ i mix-  
tum terribilia que vulnerato imprecatus verba. Accidit  
autem ut & ego aliquando illic devenirem, paterque pue-  
ri me rogaret, ut filium inviserem, eumque conveni. In-  
terea veniunt Chirurghi vulnus iterum eò quò decet modò  
deligaturi, deprehendi ego inspecto vulnere, partem os-  
sis nigredine infectam, carnemque circum circa corrup-  
tam esse; Quæsivi itaque ex illis, quodnam remedii  
genus adhiberent? dixerunt, quid ad me hoc spectaret,  
cum non sim Chirurgus. Verum respondi, sum studiosus  
medicinæ, & libenter cum vulneratis conversor. Unde  
peractis peragendis abiêre. Ex vulnerato autem & ad-  
stita tibus quæsivi, quonam remedii genere uterentur  
Chirurghi? comperiique adpositam fuisse massam quan-  
dam ex mercurio præcipitato & oleo  $\Theta$ i compositam,  
ita enim vocarunt illi. Quò auditò miratus hoc sum &  
abii. Pater istius pueri iudicium expiscabatur meum,  
cui prædixi, nisi gangræna citò inhiberetur, puerum cer-  
tò moriturum, factumque illud imperitiâ Chirurghi fuisse.

Hæc facti species est, redeo ad curationem inceptam.  
Osse in locum reposito statim adplicandum est empla-  
strum, quod germani Chirurghi vocant *Verband*/ vel pot-  
est illud usurpari quod *Zvellferus in Animadvers. in phar-  
macop. augustan. pag. 369.* describit aut hoc, quod

$\mathcal{R}$  Resin.

℞      *Resin. purissim.*      ℥iij  
          *Aceti vini acerrim.*      ℥iij  
          *Farin. tritic.*  
                          *volat.*      ana. Mß  
          *Boli rub.*      q. s.

pro colore rubro.

m. F. Emplastrum S. Bruchpflaster

Tibia autem hunc in modum debet deligari I. fiat foramen in emplastro, quod debet superimponi, & foramen illud rectâ respiciat vulnus, hoc peracto applicetur vulneri emplastrum de spermate ranarum, aut aliud quoddam.

*Felix Wurtzius in Chirurgiâ* laudat suam emplastrum, quod hunc in modum describit.

℞      *Resin. puriss.*      ℥iij.  
          *Terebinth. belgic*      ℥ß.  
          *Rad. ulmar. pulveris.*      ℥iiij.

F. L. A. Emplastrum.

Modum componendi & utendi, ut & facultates explicat pag. m. 214. & 215.

Emplastrum applicatio reliqua ritè sunt exequenda. Fasciis & spleniis obvolvatur pars affecta, de quorum numero & circumductione consule Chirurgo, cum primis *Fallopium* & *Aquapendentem*. Variant enim in his duobus autores pro circumstantiarum varietate, ferulæ non sunt intermittendæ, quicquid alii dicant, hac tamen cum cautelâ, ne pars carnis tangatur, sed libera ab eis maneat. Vulnus autem singulis diebus bis tervè pro ratione vulneris & conditione ægri introspiciatur, ne pus aut aliud aliquid in vulnere remanens gravia inducat symptomata:

empla-

903.  
emplastrum tamen inferius non deponatur intra sextum diem, ne os fractum iterum loco dimoveatur suo. Tibia deligata deponatur & collocata debite quiescat.

Commendant aliqui tanquam singulare ferrum-  
nans *lapidem osti ocollam* tam intra quam extra exhibitum, ideo quia ossa cito conglutinare facit.

*Mindererus in sua medicina militari* emplastrum oxy-  
croceum, vel de pelle arietina dicit esse adhibendum. Unicuique suum caput, suum est remedium.

Merito hic quaestio institui potest de unguento ar-  
mario satis celebrato, *an nimirum & illud salva conscientia in hisce vulneribus adplicari possit?* verum cum id non sine superstitione adhiberi possit, merito a nobis exulare debet.

Reliqua praesidiorum genera ex fonte Chirurgico  
provenientia quod concernit, dicimus: si agrotus sit  
plethoricus & vires permittant *venesectionem* non esse in-  
termittendam, nam sanguis, qui alias ad partem affe-  
ctam ruere & inflammationem causare potest, educi-  
tur.

PHARMACIAM quoad, ex ea depromi possunt va-  
ria remedium genera commendamus LENIENTIA &  
alvum subducentia quae huncce ferè in modum praescri-  
bi possunt.

Rx Syrup. rosar. solut. ℥i  
Rad. jalap. ℥ss  
Aque endiv.  
borrag. ana. ℥ij

M. F. Potio D. S. Lind öffnentes Träncklein  
auff 1. mahl.

C

APPRO.

APPROPRIATA & vulneribus dicata ex consolidanti-  
 bus conglutinantibus & callum generantibus quæ sunt,  
 iisdem admisceri possunt, v. g. si desideretur potio:

*R. Rad. Symphyt. major.* ℥℞.

*aristoloch.* ℥iij

*Fl. hypericon.* p. ij.

*Herb. beton.*

*millefol.*

*sanguisorb.* ana. Mj.

*Tartar. Crystall.* ℥vi

*Falap. gummos.* ℥ij

*Fol. sen. Alexandr.* ℥j

Concis. & contus. infundantur in *vini rubri* vel *aq. simpl.*  
 q. s. stent per noctem in leni calore, manè coquantur, ex-  
 primantur & colentur. Colaturæ addatur

*Succ. agrimon.*

*primul. veris* ana. ℥iij

Edulcoretur *jalepo rosato* & aromatizetur *decocto rosarum*  
*aq. cinam.* q. s. M. D. S.

Wundtrancß davon öffters einen warmen Truncß  
 zu thun.

Vel fiat NODULUS ex his speciebus, qui ponatur in vas  
 aliquod Cerevisiæ vel Vini plenum.

Qua ratione *symptomata* fracturis supervenientia tolli  
 & arcei possunt, docet *Senn. lib. 5. prax. part. 5. cap. 4. Cæ-*  
*lestinus lib. 4. de. fract. cap. 2.*

Tandem etiam devenimus ad DIÆTAM, quæ ju-  
 stò instituat modo. *Aer* itaque sit temperatus, ad sic-  
 citatem vergens. *Cibus* sit paucus glutinosus, tenax, sic-  
 citatem quæ quandam obtinens. Initio tenuis post paulò  
 plenior

905.

plenior. *Vinum tenue* confert, si febris abest. Videatur *Marcus Aurelius Severinus Chirurgia trimembri*, qui negat, acidis ante vulneris & ossis ferruminationem esse utendum: Contrarium placuit *Hildano* & nobis qui ex *Aurelio* hoc fusè adfirmat. *Animi affectus*, præsertim verò tristitia, metus, ira & furor exulent. *Somnus* sit moderatus. *Motus & revolutio membrorum* de loco in locum absint. *Excrementa* alvi & vesicæ suum habeant naturalem egressum. *Venus* denique cane pejus & angue summo cum studio fugiatur. Uno verbo ut concludamus cum *Hippocrate lib. de fractis*, omnem reliquam curationem *ὁ χρόνος τεκμαίρεται*, temporis opportunitas suppeditabit.

### CAPUT IX.

#### *Eloquitur Epilogum.*

Hæcce de fracturis dicta sufficiant, & candidum Lectorem rogatum volumus, si qua in re è rectâ excesserim viâ, ignoscat mihi, secumquè repetat dictum illud, quod errare humanum sit, nam & ego homo sum.

DEUM interea TER OPTIMUM TER MAXIMUM supplicibus veneramur precibus, ut eis, quæ hæctenus dicta sunt, studiisque nostris benedicere velit, ita ut hicce noster labor cedat in nominis sui divini gloriam, proximi auxilium & nostram utilitatem, id faciat per eum, qui est non solùm corporis sed & animæ nostræ Medicus. CUI CUM PATRE ET SPIRITV SANCTO SIT LAVS, HONOR ET GLORIA IN SEMPI-TERNA SECVLA.

C 2

COROL



## COROLLARIA

1. *An cura Magati in omnibus possit adhiberi vulneribus? N.*
2. *An potiones vulneraria profint? A.*
3. *An venarum grandium vulnera sint lethalia? A.*
4. *An balsama vulneraria in fracturis adhiberi debeant? N.*
5. *An ossa sint partes similes? A.*
6. *An venæ & arteriæ ad ossa pertingant? A.*
7. *An materia ossium sit semen? N.*

CL. Doctore

FELICITER

apprecatur.

**A**Rs, quæ nescio quo dicata fato  
solis regibus ob fidelitatem  
ævi perpetuo tenore servit,  
GRAVI, in te viget eminenter, atque  
flore. Jungis huic scientiarum  
multarum cumulum, & peritiam me-  
dendi. MACTE, pio sacroque cultu  
Chirurgus, medicusque sis celebris.

Gernerus Rolfinck, D.  
Academiae Rector.

Glorior



**G**Loriam quicumq; studet parare  
Marte ceratis ope dadaleâ  
Nititur pennis vitreodaturus  
nomina ponto.

Namq; vis funesti inopina fati  
Sapius longam vetat inchoare  
Spem, cadit fortis subitò, cruentis  
Et perit armis.

Sanior, GRAVI, tibi mens cato stat  
Corde linquenti varium periculo  
Classicum, Et Phœbi Clarîi coronam  
rite petenti.

Hec magis secura diu beabit  
Te, brevi fausto venietq; structas.  
Interim defende theses Et ossa  
discute laesa.

Fausta acclamationis ergò lmq; fundeb.  
Gothofredus Mœbius, D. PP. Med. Elect.  
Brand. & Adm. Arch. Episc. Magdeb.

---

**A**RTE & MARTE Virum præstas Te non fine laude,  
Sic meritò, GRAVI! nomen & omen habes.

**D**ieser wird billich ein **GRABE** genennet/  
Welcher durch Tugend die Tugend bezwingt/  
Welcher ist nimmer von Phœbus getrennet/  
Welcher zur Famen-Thron dapffer hin dringt.  
Sehet / Herr **GRABE** der hat es getroffen/  
Tugend er liebet / nun kömmet der Lohn.  
Ihme nun stehet der Ehren Thron offen/  
Gräßlichen Namen er bringet darvon.  
Recht so / Herr **GRABE**! ihr habt es getroffen/  
Weil ihr durch dapffere Kunst nunmehr diß Guch/  
Welches



Welches noch viele / vergeblich doch hoffen/  
Freuet euch dessen mit fröligem Muth!

*Hisce Prae-eximio atque Clarissimo Dn. Doctoran-  
do, Fau/ori ac Amico suo maxumè honora-  
do de summis in Arte Medica honoribus gra-  
tulari voluit debuit.*

M. Michael Ludovici, Regisl.  
Tyrigeta SS. Theol. Cultor.

**V**Ix Hirsuta comas hyemis secesserat orbe  
Dimidio facies, nova faxque  
Splendebat cœlô, fugiens subsellia Capri  
Sceptra tenebat adhuc tamen atrox  
Sævitiâ Boreas latâ nive & imbre sepultis  
Deliciis, adeò minus altô  
Frigore mens jacet, ut potiùs Tua foverit ignes  
Invitos claudi: velut arctô  
Excita flamma loco increscensquè per omnia quærit  
Acta vias tremulôquè recusans  
Extingui mucrone, furit per tecta quatitquè  
Tigna domus, via si referata est.  
Sic Tua culta usu longô mens: Alite scita  
Promere doctrinæ cata nîsu  
Expertæ satagis Medicæ Clarissimus Artis  
Filius. Hinc puro Tibi grator  
Affectu; velutiquè redux qui missus ad altas  
Pyramidas patriæ fuit altor;  
Patris eas Honor, & patriæ spes maxima, cœptis  
Atque Tuis faveat DEUS, OPTO.

*Hac à sterili venâ profecta Clariss. Dn. Docto-  
rand. cum voto omnis felicitatis adpo-  
nere in sui benevolentiam debuit, voluit.*

Johan. Siebold/ Gothanus  
Medic. Studiosus,

FINIS.

05 A 12/51


**ULB Halle** 3  
003 765 92X



VDA7







Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.



Chirurgica Inauguralis 9065

# DISSERTATIONIS DE VULNERE ET FRACTURA OSSE

ante clementiam  
e Illustris & Gratosissima  
rebratissima ad Salam

emiam  
RESIDIO  
RI

cellentissimi, Amplissimiq;

## S. THEODORI NKII,

ni, Anatomia, Chirurgia ac  
tissimi, horti Guilielmini ac  
eti solertissimi.

Promotoris sui a viternum  
per andique

### SENTENTIA

ribus privilegiis & insignibus  
solemniter acceptandis

it examini

V/ Coburgo Francus.

Majori

Januarii.

omeridianis.

KREBSII, 1659.

